



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

73. An qui audivit detrahentem de aliorum criminibus, & non correxit, peccet mortaliter? Et quid in dicto casu, si audiens sit superior, vel grave damnum ex dtractione sequuturum animadvertitur? Ex ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

quest. 18. par. 4. Saloniim in 2. 2. quest. 7. artic. 4. Socum lib. 5. quest. 10. art. 4. Sayrum in Clavi Regia lib. 1. c. 9. num. 37. & Rebellium Malderum. Bonaciam, vbi supra.

RESOL. LXXIII.


An qui audiuit detrahentem de aliorum criminibus, & non correxit, peccat mortaliter? Et quid in dicto casu, si audiens sit Superior, vel graue damnium ex detractione sequaturum animaduertitur? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Res. 35.

§. 1. R Espondeo vt plurimum minime; & sic ait Ioan. de la Cruz Dominicanus in direct. consciens. p. 8. quest. 2. art. 2. dub. 5. concl. 1. qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut amici leuitatem, non resistit detractori, peccat venialiter. Et hanc sententiam docet etiam ex Societate Iesu Adamus Tannerus in 2. 2. D. Thoma. disp. 4. q. 8. dub. 7. num. 151. vbi sic asserit. Est peccatum contra iustitiam, si quis directè iniustitiam, & detractionem approbet, aut, quod deterius, ad eam inducat, contra charitatem, si quis merè negatiuè se habeat, non impediendo, nisi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere, aut famam alterius defendere; nempe quia huius, vel illius superior est. Communiter tamen ex negligentia, timore, aut verecundia non repellere detractionem, solùm censetur peccatum veniale, nisi vel audiens superior sit, vel graue damnium ex detractione sequaturum animaduertatur, vel timor ipse adeo peruersus sit, vt propter eum peccare aliquis mortaliter non curet. Ita ille, & hanc sententiam nouissimè docent etiam Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 4. num. 95. & Faber de vestit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 5. c. 3. n. 127. vbi sic asserit. Si omittat corripere detrahentem vel ex timore, vel ex negligentia, vel etiam ex verecundia, est peccatum veniale. Non igitur, vt aliqui serupulosi putant, est semper peccatum mortale audire, & non corripere detrahentem; vide etiam nostram res. \* 24. tract. 3. miscellan.

RESOL. LXXIV.

An correctio fraterna sit adhibenda, cum blasphemiam est occulta, & non hereticalis? Ex part. 7. tract. 3. Resol. 60.

In indice primo huius tom. 7. lege Apendicem ad hunc tract. 4. vbi inuenies alias paucas quest. mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Res. quæ simul pertinent ad hunc tract. 4. de correctione fraterna.



TRACTATUS QUINTUS

DE

SCANDALO.

RESOLVTO PRIMA

Quomplex sit scandalum? Ex part. 5. tractat 7. Resolut. 1.

Tom. VII.

§. 1. R Espondeo scandalum esse duplex: aliud actiuum, aliud passiuum. Scandalum actiuum est, oppositio obstaculi, vel occasionis, vnde oritur ruina spiritualis proximi; quod bene diffinitur à Hieron. super Math. 18. & habetur in gloss. ibid. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, & præbens